



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. iij. Causæ passionum & remedia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Quæst. III. Sect. III. Causæ & remedia pass. 559

maiori applicatione animi perficitur; si non im-
peretur, sed ipsa sponte accidat, perfectionem
actus ipsius indicat: quod idem verum est de ma-
litiis.

Dices, passiones morbos esse animi, inclinare
ad peccatum, nec esse in nostra potestate; vera
enim hæc omnia sunt de passione immoderata, &
egressa limites rationis. Passio moderata morbus
non est, sed perfecta valetudo animi; non incli-
nat ad peccatum, sed virtus est. Non est in pote-
state nostra impedire, ut ne omnino nascantur,
& ut nullam in corpore causent mutationem. Si-
tum est in nobis efficere, ut ne sint immoderatae,
idest ut ne recta ultra rationis fines prodeant.

SECTIO III.

Causa passionum, & remedia.

Formalis causa passionum explicata manet ex
earum quidditate; finalis ex effectibus nuper
dictis; effectiuam proximam saepe dixi esse appeti-
tum sensitivum, qui in corde residet, ac proinde
passiones omnes in corde generari: voluntas enim
passiones veras non habet, tamen pars eius,
tum superior, tum inferior actus omnino similes
habeat passionibus circa bonum & malum; amat
enim, gaudet, desiderat: sed actus illi passiones non
sunt, eo quod non habeant mutationem ullam
adiunctam in corpore, quia est potentia spiritualis,
que mutationem nullam causat in corpore, à quo
non est dependens. His positis,

Difficultas esse potest de his, quæ possunt esse
principia & subiecta passionum; & de iis quæ dis-
ponunt ad passiones, ita ut efficiant nos ad eas
magis propensos; ac de his quæ mederi possunt
passionibus, & eas impedire.

Dico primò, passiones esse posse in quolibet
animali, etiam in homine sapiente: Deo & An-
gelis non conveniunt propriè dictas passiones, sed
improprias tantum & analogicas.

Ratio est, quia quodlibet animal appetitum ha-
bet sensitivum, cuius actus passiones vocantur. In
homine sapiente idem ille appetitus reperitur,
suntque passiones bonæ si sunt moderatæ, ut
ostendi. Dicitur à Theologis illas fuisse in Deo
homine, qui est tota sapientia increata & creata,
tamen propassiones illæ magis appellantur prop-
ter imperium despoticum, quod habebat in eas ra-
tio & voluntas; cuius imperium nunquam illæ
vel præveniebant, vel excedebant, vel illi repug-
nabant. Deo autem & Angelis passiones non con-
veniunt, quia illæ invehunt mutationem corpo-
ream, cuius illæ capaces non sunt. Si verò suman-
tur pro actibus voluntatis circa bonum & malum,
competunt Deo & Angelis amor, miseria, ira.

Dico secundò, causam cur ad certas quasdam
passiones nonnulli sint aliis priores, esse præ-
sertim temperamentum sanguinis & spirituum;
conferre quoque aliquid quantitatem, figuram, &
situm cordis; consuetudinem etiam, socios, & oc-
cupationes. Astra verò, tempestatem anni, cibo-
rum genus nihil posse conferre nisi mutando
temperamentum.

Ratio est dependentia ipsius animæ à corpore
in operando, quandiu est coniuncta corpori, &
illud informat; videmus enim diversam esse ope-
rationem pro diversâ perfectione instrumenti. Ex-
perimur autem eos qui sanguinem habent subtili-
lem; clarum, & temperatum, propensiores esse ad
amorem & gaudium; sunt enim lati, amantes,

A benigni. Qui sanguinem subtilem, & clarum, in-
temperatè verò calidum, proclives esse ad iram fa-
cile mobilem; quia facile huiusmodi materia igitur
nescit, & facile restinguitur; unde iudem proni
sunt etiam ad audaciam, arrogantiam, honorum
appetentiam. Qui sanguinem habent subtilem, &
clarum, sed immoderatè frigidum, inclinari ad pu-
sillanimitatem, honorum contemptum. Ex crasso
item sanguine variè temperato variæ sine dubio
existunt inclinationes. Qui enim sanguinem ha-
bent crassum, turbidum & calidum, inclinantur ad
tristitiam, & iram. Qui crassum & calidum, sed non
turbidum, inclinantur ad mediocrem iram, & con-
stantem audaciam. Qui habent crassum, turbi-
dum, frigidum, tristes sunt, tardi quidem ad
iram, sed illius tenaces, propter crassitatem huius
materie. Reliqua prosequi longum esset.

B Dico tertio, remedia generalia passionum quin-
que potissimum esse. Primò certum est præcipuum
esse moderationem amoris, quia ille reliquos affe-
ctus quodammodo continet, imperat, effundit,
coercet. Ordinabuntur omnes affectus, si eum qui
ceteros impetu suo dirigit & versat, direxeris. Ma-
gni interest, sit amoris impetus, an casus; namque
tuto illo, & securo in fluctibus fortunæ, incolu-
mes sunt ceteri, velut appendices immunitatis
eius. Secundum remedium est cura in affectibus
adhuc teneris euellendis, & veluti sarciendis:

*Blandior ad falcem messor perducit aristas,
Si raris segetem pellere continet.*

C Time adultis iam affectibus, roboratos nec aude-
bimus opprimere, & vix poterimus. Tertium, cogi-
tare quantum iuvet valetudinem tranquillitas
affectuum. Peritissimi Medicorum inter pharmaca
lætitiâ iubent. Perphyrius sic monet: *Conferuat
maximè sanitatem imperturbatus animi status. Vale-
tudo*, inquit Cornelius Celsus, *bona contingit ob
bonos mores*. Quartum, cogitare, nullum in vita
malum contingere, nisi ob vota humana. Inetudi-
tio affectuum omnium est malorum & vitiolorum
proscenium, omnis hîc instruitur vitæ tragœdia.
Quintum, correctionem affectuum vis molliet con-
suetudinis: magnum istud beneficium naturæ, vel-
le deponi. Proxena naturarum consuetudo est, in
quo peccavit natura, mos emendabit. Hæc ex Eu-
sebio Nyerembergio lib. 4. de arte voluntatis, pla-
cuit hîc atterere: plura inferius addentur dum
agam de singulis passionibus.

SECTIO IV.

Characteres passionum appetitus concupiscibilis.

Grandis hîc se aperit campus, & amplissima
G messis in singulis passionibus, quam tamen
delibare magis lubet, quam demetere. Satis ergo
erit in singulis dicere naturam & species, causas,
effectus, & remedia.

§. I.

Amoris, & odij natura, causæ, effectus, remedia.

Illis quatuor continetur verus amoris character
I philosophico exaratus stylo, non poetico expres-
sus calamo, quales eos esse video qui habentur
apud Platonem & Platonicos, & apud Poetas. Alij
enim, teste Fagio in commentario capitulo 5. Capitu-
laris Patrum Hebraeorum, amorem pingebant for-
mâ iuuenem, aperto capite, tunica rudi; cuius in
unica

Amoris de-
scriptio.

Passiones
in quolibet
animali.

Pronitas ad
certas pas-
siones.